

Inductio integra est talis:

Statio Mensoris, sive linea nota,	170.	}
Distantia ab Instrumento usque ad Murum	360	
Ab Instrumento usque ad Fossam	300.	xpedum.
A Fossa usque ad Murum	62	
A Fossa usque ad altitudinem Muri, quæ longitudo est Pontis.	85	}

Vtilitas huius geodæsiæ immensa est, in primis mitten-  
dis armis volaticis, & quibuscumque missilibus ignitis in  
arcem vel urbem in monte sitam, quando videlicet infer-  
nè ad radices montis, catapultæ, helepoles, & alia obsidio-  
nales machinæ dirigendæ sunt: ut inde cognitâ latitudine  
& profunditate scalarum vel pontium longitudo pro irru-  
ptione brevis aut longa fabrefieri possit. Hinc enim apud  
Polybium, Philippus Rex ad Meliteorum urbem capien-  
dam scalas non satis longas muris admovens, gravi pro-  
pterea clade affectus, reque infectâ discedere coactus fuit.  
Et Gallis ad Mediolanum idem nocuit, uti nuper Austria-  
cis ad Canisam: Hispanis econtrà ad Iametum capiendum  
hoc profuit.

Scribit Guatherus Rivijs, Geometricorum Instrumen-  
torum peritum non certò tantum iaculari, sed & tormentorū  
tribunis quasi prædicere posse, quot passus sit jacu-  
latus: adeò ut qui vel nullum antè jactum fecerit (quam-  
vis id incredibile multis videatur, & quodammodo  
adynaton:) is certius iaculari possit multis  
machinarum magistris  
exercitatis.

## F.